



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De SS. Martyribus Sirmiensibus Maximiano, Auctione, Timotheo, Herisso,
Artyxio, Vito, ucto, Tobia, Eugenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE SS. MARTYRIBUS SIRMIENSIBUS
MAXIMIANO, ACUTIONE, TIMOTHEO,
HERISSO, ARTAXO, VITO,
ACUTO, TOBIA, EUGENDA.

II JAN. **M**artyrologium S. Hieronymi: Sirmii, Maximiani, Acutionis, Timothei, Herissi, Artaxi, Viti, Acuti, Tobiae, Eugendae. Usuardi editio Colon. anni 1321
 Tabiam quoque habet, sed cum Rutilia coniungit, de qua inferius.

DE SANCTIS MARTYRIBUS PLACENTINIS.

II JAN. **P**hilippus Ferrarius in generali catalogo Sanctorum testatur, Placentiae in Campo peregrinorum, ubi S. Mariae de Campania ecclesia celebris est, Passionem hac die recolit plurimorum Sanctorum Martyrum qui sub Gordiano Praeside, Diocletiani et Maximiani persecutione, pro Christi fide interempti sunt. Quod se hausisse scribit ex antiquis illius Ecclesiae monumentis, urbisque Placentinae Annalibus.
 2 De his Martyribus ita scribit Franciscus Gonzaga historiae Seraphicae parte 2, in Provincia Bononiae, Convent. xxv agens de conventu S. Mariae de Campo Placentiae: Est etiam haec in eadem ecclesia puteus quidam, in quo plura Sanctorum Martyrum corpora, ab impiis Christianae religionis persecutoribus occisa, projecta fuere: unde et ad tempus quoddam oleum confoven-dis lampadibus commodissimum, atque diversis fidelium infirmitatibus sanandis omnino mirificum, scaturit: quod tamen humanae avaritiae demeritis id exigentibus, quae in tantam dementiae proruperat, ut id, sumpto pretio, etiam curandis brutis animalibus applicaret, a plurimis diebus emanare cessavit omnino.

Martyres Placentini sub Diocletiano.
 Eorum corpora in puteum abjecta.
 Inde oleum saluiferum scaturit.
 Desinit fluere ob hominum avaritiam.

DE S. DEFENDENTE
 ET SOCIIS MARTYRIBUS.

II JAN. **S**anctum Defendentem Martyrem refert II JANUAR. Ferrarius in generali catalogo Sanctorum, his verbis: In territorio Massiliensi apud Rhodanum, S. Defendentis Martyris ex legione Thebaeorum, sub Maximiano. Petrus quoque Galesinius eodem die: In Gallia ad Rhodanum fluvium, S. Defendentis et aliorum multorum militum, qui Maximiano Imperatore, pro Christo Domino cruciatibus eo loco affecti, martyrii coronam consecuti sunt. Ad ejus fluminis ripam, a S. Theodoro Massiliae Episcopo, Defendentis Martyris corpus sepultum est; ejusque nomine ecclesia dicata. Librum ejusdem Theodori Episcopi qui Defendentis Acta complexus est, ait idem Galesinius extare in vetustis monumentis Ecclesiae Bergomensis.
 2 Idem Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiae de eo haec scribit: S. Defendentis Martyris memoria in multis Italiae locis celebris est: praecipue Clavasii oppido haud obscuro Taurinensis dioecesis, apud Morgum fluvium, in Padum non longe influentem; Casali Montisferrati urbe primaria, et Novariae. Quibus in locis et alibi ecclesiae aequae illi dedicate sunt: cujus reliquiae Casali in ecclesia Eremitarum asservari feruntur.
 3 De quo etiam miraculum Odolevei pago dioecesis Casalensis narratur: quod cum quidam in die Defendentis festo aucupatum potius, quam Missam audire voluisset, ac perdecies captas coquere; illae statim redivivae eo obaeccato evolarunt: qui tamen facti poenitens ad aram sancti Martyris orans, et veniam impetravit, et visum recuperavit.
 4 Ubi is passus fuerit, ignoratur; nisi sit idem cum eo quem apud Rhodanum fluvium in Massiliensi dioecesi, una cum aliis, Maximiano Imperatore, martyrio affectum, atque a S. Theodoro Episcopo Massiliensi conditum, ibidem ecclesia sibi constructa tradunt. Inter illos Petrus Galesinius in suo Martyrologio hac die, citatque codicem ms. Ecclesiae Bergomensis. Tametsi auctor historiae Martyrum Thebaeorum Taurini excusae, hunc alium ab illo facit, putatque in Italia apud Pedemontium cum aliis passum fuisse sub dicto Imperatore. Sed ipse potius eundem cum eo, qui ad Rhodanum passus est, esse autumo; cum nullum quod sit diversum argumentum habeamus.

S. Defendentis et Sociorum memoria.
 Acta scripta a Theodoro Episcopo.
 NOT. 23.
 S. Defendentis reliquiae Casali.
 Missae neglectus ejus festo, punitus.
 Ubi passus sit.